



DE LIBRORVM MOSIS
AVTHORITATE, ANTI-
QVITATE, DIGNITATE ET
VTILITATE.

Ad auditores

P R Æ F A T I O.



I mea cum vestris valuissent vota, Lycei
RECTOR, vosque Patres, & tu lectissima turba:
Non foret ambiguus deserti muneris hæres,
Tuque tua cathedra, nos te potiremur, amice
O IACOBE tuæ KIMEDONTI gloria gentis.

LICEAT enim mihi, Auditores, nunc ita πᾶσι δεῖν. Liceat mihi in hoc vesti-
bulo compellare sanctam animam Reuerendi viri IACOBI KIMEDONTII,
Theologi & professoris inclytæ huius Academiae celeberrimi, cum quo mihi olim
annos non paucos studiorum dulcissima fuit consuetudo, quem in gubernatione Col-
legii SAPIENTIÆ collegam fidelissimum, in Senatu Ecclesiastico Συμβουλον μο-
deratissimum, in omni conuersatione ἄσφατον sincerissimum, in amicitia compa-
trem dilectissimum habui. Hunc tantum virum, meministis Auditores, mensibus
ab hinc aliquot seua pestilentie lues nobis eripuit, qui ingenium præstans, iudicium
accuratum, doctrinam eximiam, dexteritatem singularem, grauitatem, pietatem &
prudentiam vere Christianam, non eo solum septennio, quo professioni publica præ-
fuit, sed & olim, cum D. VRSINI, magni illius Theologi, in gubernatione Domus
Sapientie collegam ageret, & tandem postremis annis scriptis aliquot eruditissimis,
præclare testatam fecit.

D. Iacobus
Kimedontius
Theologus: &
consiliarius
Ecclesiasti-
cus.

Sicut autem vniuersam ille vitam ita componere studuit, vt aliis exhiberet spe-
culum vere virtutis, & iuxta Apostoli præceptum esset exemplar fidelium in sermo-
ne, in conuersatione, in charitate, in spiritu, in fide, in puritate, &c. sic incredibile
quantam animi constantiam, quam inuictum fidei robur, quanto fiducia præpara-
tum pectus ad moriendum attulerit: donec inter assiduas preces & gemitus spiritum
Seruatori suo redderet: illud in ore & pectore semper habens, quod David dixit:
Preliosam esse in conspectu Domini mortem sanctorum eius: neque quod
ait Augustinus: Malam mortem putandam esse eam, quam bona vita præ-
cessit. Testes hic appello multos clarissimos viros, amicos, & collegas, qui decumben-
ti adfuerunt.

1. Tim. 4. 12.

Psal. 115. 5.

Ceterum